uoluntate. similes sunt scribarum & sacerdotum redimentium
mendacium. & sanguinem saluatoris. lxv
VNDECIM autem discipuli abierunt in galileam in montem
ubi constituerat illis ihesus. Post resurrectionem ihesus
in galileae monte conspicitur ibique adoratur. licet quidam du
bitent. & dubitatio eorum nostram augeat fidem. Tunc
manifestius ostenditur thome. & latus lancea uulnera
tum. & manus fixas demonstrat clauis. Accedens ihesus
locutus est eis dicens. Data est mihi omnis potestas in celo
& in terra. Illi potestas data est. qui paulo ante crucifix
us qui sepultus in tumulo. qui mortuus iacuerat. qui
postea resurrexit. In celo autem & in terra potestas data
est. ut qui ante regnabat in celo. per fidem credentium reg
net in terris. Euntes ergo docete omnes gentes baptizan
tes eos in nomine patris & filii & spiritus sancti. Primum do
cent omnes gentes. deinde doctas intingunt aqua.
Non enim potest fieri ut corpus baptismi recipiat
sacramentum. nisi ante anima fidei susceperit uerita
tem. Baptizantur in nomine patris & filii & spiritus sancti.
ut quorum una est diuinitas. sit una largitio. nomenque
trinitatis unus deus est. Docentes eos seruare omnia
quecumque mandaui uobis. Ordo precipuus. Iussit apostolis
ut primum docerent uniuersas gentes deinde fidei
intinguerent sacramento. et post fidem. ac baptisma. que
essent obseruanda preciperent. Ac ne putemus leuia
esse que iussa sunt & pauca addidit. Omnia quecumque man
daui uobis. ut quicumque crediderint qui in trinitate fue